

Q. F. F. Q. S.

103.

DISPUTATIO merè PHILOSOPHICA
De

NOVITATE ANTIQUA,

SIVE DE PRINCIPIIS PHILOSOPHANDI
NOVIS ET ANTIQVIS,

Quam

Consensu Eorum, Quorum Interest,
PRÆSIDE

Philosopho ad Auram Celeberrimo

Dn: Mag: P E T R O
H A H N.

Candidæ Bonorum censuræ
submitte

PHILOSOPHIÆ CANDIDATUS
ERICUS NESPERUD.

Die 31. Jan: Anno 1712, loco horisq;
consuetis.

Excudit AND: Biderfman/ Univ. Typog:

Mons. Jacob. Jacobson

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

NOVITATE
ANTIOUA

212 DE FLORENTIS FINE SOCIASDI
NOVIA ET AD TROVIS

1648

Constantinopolis, Quarta Martii

LESLIE

1810

DO: MARY P. T. R. O.

H. A. H. M.

Cardinalis, habebat, eandem

liberum

FRANCIS GANDIENSIS

ERICUS WESTER

De in Jure, hinc, hinc, hinc

1648

Exemplar Antiquarium Univ. Toront.

VIRGULÆ. Q
NOVARUM. SUBTILITA
ACUTISSIMI. PHIL

Dni. ERICI. 218

NOVOS. ADITURI.
HAS. IMPLICUIT.

IN. NO
NUNC. ANIMUS. TUUS.
ACHAT
NOTITIA.
CAPTUS. AMO
FALLE
ANTIQUIS. SI. TU. NOVA
QUÆ. TAMEN. ANTIQUI. SUN
NON. NOVA. CUNCTA. PLACENT. MAGI
ERUTA. QUÆ
PAGINA. DOCT
UT. NO
AUGUSTIS. SUCC
HOSPES. AU
TIBIMET. TURB
VOVEI

CENSORIÆ,
TATUM. OEDIPI.

L: BATTUALII.

SPLENDID.

HONORES.
VERBENAS.

DVA.
OPTIME. FERTUR,

TES.

VERI.

ORE. NOVI.

ERIS.

VA. VERA. NEGARIS.

NT. NOVA. VERA. DEI.

IS. AST. ANTIQUA. PLACEBUNT.

E. RECENS.

TA. DOCET.

OVUS.

EDAS. SEDIBUS.

RAIDUM.

BA. NOVENA.

!.

JOANN. ZIDBECK.
Cath. Sch. Ab. Rector.

VERA NEGARIS
NOVA VERA DE
AST. ANTIQVA PLACEBUNT
DOCT.

JOHANN ZIDBECK
Cath. Sch. ab. Regon.



A Domino Esto Auspicium!

§ I.



Philosophiam, quæ variè à diversis Auctoribus definiri consuevit, esse *studium sapientiæ*, & ipsa *nomenclatura*, & *usus vocis*, quam proximè exprimit. Per *sapientiam* autem, intelligitur non solum *Prudentia* in rebus agendis, verum etiam perfecta rerum omnium, quas homo novisse potest, *Scientia*; quæ & vitæ ipsius regula fit, & artibus inveniendis interserviat. Quemadmodum etiam *Philosophi* nominari solent, qui huic studio dant operam; quantumvis nemo usquedum inventus sit, qui omnes illas res, quas sinu complectitur, perfectè sciverit: quin potius omnes in indagando coacti sunt subsistere,

A

alius

aliisque uberrimam semper quærendi materiem relinquere. Dividitur communiter *Philosophia* in *Theoreticam* & *Præcticam*: sumpta denominatione ab ipso *objecto*, quod partim nudæ contemplationi subjacet, partim etiam se extendit ad actiones humanas, quatenus ad certam normam sunt exigendæ. Præter hanc vero, quam internam vocare liceat, plurimas alias sortita est denominationes externas, à diversis Gentibus & regionibus, quas inde ab exordio mundi pervagata est: Ab Auctioribus: à docendi discendique ritu modoque: à locis ipsi dicatis, & denique à tempore. Hinc: Hebræa, Chaldaica, Persica, Græcanica, Ionica, Italica. Hinc: Pythagorica, Platonica, Aristotelica, Epicurèa, Cartesiana. Hinc: Peripatetica, Dogmatica, Sceptica, Sectaria, Eclectica. Hinc Academica, Stoica. Donec tandem etiam *Nova* & *Antiqua* passim appellari cœpit.

§. II.

Quum igitur Philosophia in abstracto, ut loqui amant, h. e. nulla habita ratione ad subjecta quibus inesse creditur, non possit esse nisi *una*. Quemadmodum veritas, quam sibi pro scopo præfixam habet, *una est*: Neque enim unquam fieri potest, ut duo contraria de una eademque re simul sint vera. Quæritur haud immerito, unde hæc ultima à tempore desumpta denominatio originem ducat; vel, an ita omninò novam induerit faciem Philosophia recentior, ut nihil prorsus cum illâ ab Antiquis cultâ commune habeat? Priusquam autem ad quæstionem propositam respondemus, quid ipsis terminis innuatur, paucis expendamus. Nota est omnibus vetus illa distinctio inter Academiam *antiquam*, cujus Princeps Plato; & *Novam*, cujus Auctor Arcefilas, à Cicerone in quæstionibus Academicis consti-

4
tuitur. Quanquam adhuc plures
Academiæ gradus, seu Sectas
se invicem subsequentes, ab a-
liis recenteri non ignoramus. De
hac verò in præsentì non quæritur.
Neque de eo, num quidquam *nobi*
hodie inveniri queat; cum inventis
aliquid addere facile sit. Sed de
illa distinctione, quæ demum pro-
ximè elapso seculo, in scholis Philo-
sophorum invaluit, & qua *Philoso-*
phia Cartesiana tanquam *Nova*, ab
Antiquis lectis, ac præcipue Aristo-
telica, discerni solita est.

§ III.

Sed cum illud non tantum di-
catur *novum*, quod tempore nobis
est propius; verum etiam incogni-
to, inaudito, imo falso quandoque,
quanquam abusivè, æquivalet; di-
spiciendum ulterius, quæ signi-
ficatio vocis hic tenenda. De eo
antem nemo dubitare potest, quin
in prima significatione vox adhi-
bita

bita rectè quadret, quatenus primum lucem publicam, in ea forma, quâ nunc est conscripta, adspexit. Nam omninò sic propius ad nostra accedit tempora, quam monumenta illa veterum, quæ per tot secula vetustate tantum non exesa, aut ignotis planè conservata lingvis, nisi in Doctorum virorum obstetricantes manus denuò incidissent, vix nostris unquam trita fuissent. Num vero ratione dogmatum tanquam antea inauditorum, nuperq; adeo inventorum ita dici mereatur, nunc nobis indagandum venit. Ac sanè, si inventa quædam specialiora (in Mathesi præcipuè) Methodumque excipias, dubia ipsi Cartesio vel renuenti hæc laus evadit. Quamvis neque virium mearum neque instituti sit, omnia veterum ac Cartesii dogmata inter se conciliare, vel quid probabilius in utrisque reperiat, eruere.

§. IV.

Pref: Fatetur quidem ipse: *Omnes*
ad Prim. *illas veritates, quas pro Principiis ha-*
bet, semper & ab omnibus cognitatas fuis-
se. Sed addit insuper: *Nemo ta-*
men, quod sciam, haecenus fuit, qui e-
as pro Principiis Philosophiae habuerit.

Pref: Et alibi: *De rebus omnibus dubitare*
ad Me- *possumus, quamdiu sc: non habemus a-*
dit: *lia scientiarum fundamenta, quam ea,*
quæ antehac habuimus. Ubi aperte
 satis, laudem hujus inventionis au-
 cupari cernitur. Quo vero id ju-
 re fiat, in sequentibus nobis viden-
 dum. Licet autem non diffiten-
 dum, quin aliqua Philosophica ve-
 ritas, quam *temporis filiam* finxerunt
 Veteres, hodiè inveniri possit; cer-
 tè Veterum etiam inventa, quorum
 falsitatem tempus non detexit, per-
 petuò magni æstimantur. At, quis
 inde omnes veritates rejiciendas
 nisi insanus judicet? Etenim eo-
 rum, quæ nunc nova sunt, aliqua,
 secuturis seculis inter antiqua fortè
 nu-

numerabuntur. Quum autem
 Cartesius ipse non eat inficias, *Phi-* *Dissert.*
losofiam à præstantissimis omnium se- *de Meth.*
culorum ingeniis fuisse excultam; uti- *p. m. 6.*
 que ad id fastigii, in quo ab ipso
 deprehensa est, assurgere valuit.

§ V.

Sed ut dictis constet ratio, addu-
 camus nonnulla ex iis, quæ ut ma-
 ximè *nova* videri cupit Philosophus;
 in ipso limine visuri, quid sentiendū
 sit de *dubitatione* illa, de qua tam a-
 criter tamque vario Marte, The-
 ologos inter & Philosophos huc
 usque disceptatum est & adhuc-
 dum disceptatur. Visã est equi-
 dem illa Philosophandi ratio, quæ
 à *dubitatione* capit exordium,
 multis admodum *nova*, hæctenus
 inusitata & penè incognita, tum e-
 tiam vana, fallax & impia. Inte-
 rim, si Antiquissimos quosque re-
 spicimus, patet, hoc quidquid est,
 Cartesium primum non adinve-
 nisse. A viris enim Doctis, ejus-
 modi

modi *ακρίβειαν* dudum observatam legimus in Socrate, in Zenone Eleate, Heraclito & per plurimis Academicis. Imo inter dogmata Socratis apertè refert Johannes Franciscus Buddeus, quod dixerit:

*In de- Derebus difficultibus non esse temerè quid
lineat. quam affirmandum, sed contra, in his-
Hest. ce suspendendum iudicium. Et Pla-
Philos: to discipulus Socratis, ipsum de
cap. IV. mensura quadrati puerum instru-
§. x. entem, cum hæsitaret puer, nec
quid ulterius respondendum in
promptu haberet, prolixè satis de
dubitatione sententiam suam, inter
alia, sic edisserentem introducit:*

plat. in Οἷετ' ἐν ἀνάγκῃ πρῶτον ἀπαιτῆσαι ζη-
Men. p. τὴν ἢ μάθάνειν, ὃ ἄτε εἶδέναι, ἔκ εἰδῶς,
m; 84. πρὶν εἰς διπορίαν, κατέπεσεν, ἠγνοῦμεν ὅ-
μη εἶδέναι, καὶ ἐπόησέ τ' εἶδέναι. Ubi

rotundè satis ostendit, quantum ille dubitationi in investigatione veritatis tribuat. De Platone ipso, quum Præceptoris sui vestigiis inhæreat, deque Academicis reliquis,

nihil attinet dicere. *Quis enim ne- Huet: in
scit, ipsis tanquam proprium fuisse mo- Quæst:
rem dubitandi & in utramque partem Alner.
disputandi. Quod nec ipse diffite- lib. II.
ri audet Cartesius.*

§ VI.

Supereſt Ariſtoteles, cujus
de hac re ſententia, ut maximi pon-
deris haberi meretur, ita nobis pau-
lo prolixius expendenda. Quum-
que alius, quantum ad negotium
præſens, illuſtrior vix detur locus,
& in quo animi ſui ſenſa magis a-
pertè exprimat, quam qui vulgo
huc applicari conſuevit ex lib: III
Metaphys: cap. I. illum ſic totum
expoſitum & enucleatum habe:

Ανάγκη πρὸς τὴν ἐπιζητημένην ἐπισημνῆναι
ἐπελθεῖν ἡμᾶς πρῶτον ὡς ἂν ἀπορῆσαι
θεῖ πρῶτον. Ταῦτα δὲ εἰσὶν ὅσα ὡς ἂν ἀυ-
τῶν ἄλλως ὑπελήφασιν τινες, καὶ ἐν ἡ-
χωρῆς τῶν τυγχάνοι παρεωραμένον.
ἔστι δὲ τοῖς εὐπωρῆσαι βυλομένοις πρῶ-
τον ἀπορῆσαι καλῶς. Ἡ γὰρ ὑπερον

c:8. § 8.

Respon:

ad ob-

ject:

sec. p:

m: 80.

εὐπρέπια, λύσις τῶν πρότερον ἀπορευομέ-
 νων ἐστὶ. Λύειν δὲ ἔκ ἐστιν ἀγνοῦντι τὸν
 δεσμὸν, ἀλλ' ἢ τῆσ' διανοίας ἀπορία δη-
 λοῖ τῆτο πῶς τῆ πράγματι. ἢ γὰρ
 ἀπρεῖ, τούτῃ πῶς ἀπλήσιον πέπονθε τοῖσ'
 δεδεμένοισ' ἀδύνατον γὰρ ἀμφοτέρως προσ-
 σελθεῖν εἰς τὸ ἔμπροσθεν. Διὸ δὲ τὰσ' δόσ-
 χερσίας τε θεωρηκέναι παῖσισ' πρότερον,
 γέτων τε χάριν, καὶ διὰ τὸ τῆσ' ζητην-
 τας ἀνευ τῆ διαπαρῆσαι πρῶτον, ὁμοίως
 εἶναι τοῖσ' πῶς δὲ βαδίζειν ἀγνοῦσι. Καὶ
 πρὸς τῆτοισ' γὰρ εἶπτε τὸ ζήλουμενον εὐρη-
 κεν, ἢ μὴ, γινώσκει. Τὸ γὰρ τέλος τούτω μὲν
 ἔσθ' ὄλον, τῶ δὲ καλῶσ' προσηρηκότι δή-
 λον. Ἐπὶ δὲ βέλτιον ἀνάγκη ἔχειν πρὸς τὸ
 κρῖναι τὸ ὡσπερ ἀντιδικῶν καὶ τῶν ἀμ-
 φισβηλῶντων λόγων ἀκηκοῖτα πάντα.
 Ex quibus omnibus cuivis in prom-
 tu est iudicare, quam ille super hac
 re toverit sententiam. Imprimis
 enim expressè dicit: dubitationem
 inquisitioni scientiarum esse præ-
 mittendam, nec ad scientiam per-
 veniri, nisi dubitando, posse; &
 denique omnia, quæ dubia sunt,
 di-

diligenter examinanda, ut certum quid eliciatur. Quare autem omnino dubitandum sit, hisce indicat.

Quia scilicet aliter quidam existimarunt.

Vult itaque diversas audientem opiniones, nulli assensum præbere, antequam rationes singularum rite cognoverit atque perpenderit.

Imo, si quid forte ultra hæc prætermisum sit. h. e. videbit an ipse ad inquisitionem veri, ab aliis omittas rationes addere possit, ne temerè aliorum sententiis, ac forsitan non parum etiam receptis, suas opponere videatur. Atqui ita facultatem habere volentibus, h. e. veritatis & scientiæ cupidis, *operæ pretium est prius bene dubitare.* Undè primò patet, quinam hanc dubitationis viam calcare debeant.

Illi nimirum, qui ad perfectiorem cognitionem aspirant, eoque sunt iudicio, ut rationes omnes inter se conferre & examinare queant. Deinde vero hanc

dubitationē non extendi ad praxin vitæ quū occasio rei bene gerendæ sæpius elaberetur, antequam omnes scrupuli eximi possent; quare etiam illam significanter τῆς διανοίας ἀπορίαν vocat. Quo autem adhuc melius mentem tuam declaret, triplici utitur similitudine: primâ â vincētis, secundâ â viatoribus & tertiâ demum â iudicibus desumpta. Quemadmodum enim solvi non cupit, nisi qui prius vincētū & quasi constrictum se sentiat: ita intellectus, nisi dubiis tanquam vinculis se impeditum prius cognoverit, vix unquam de eorum enodatione esset sollicitus; λύειν δὲ &c. deindè *dubitationem* assimilat viæ, quâ unica ad veritatem sit eundum, quave ignorata vel neglecta, à scopo aberramus, semper incerti quantum profecerimus, & quo loco subsistendum. Cum etiam non tantum πρώτον ἀπορίας; sed ὑποθέρον εὐπορίας quoque, imo, τὸ τέλος

λ&ς finis & metæ mentionem in-
 jiciat: liquet sanè Philosophum
 minimè velle nos semper dubitare,
 sed in veritate inventa acquiesce-
 re. Non aliter, ac iter emensus
 viator requiescit in loco, ad quem
 diu anhelavit. Tandem etiam
 monstrat, quomodo se gerant bo-
 ni hi *dubitatores*, videlicet, non ut
 adversarios; sed ut arbitros & ju-
 dices eorum omnium, quæ ab u-
 traque parte inter se ut pugnancia
 & ambigua occurrere possunt.
 Prorsus ut monet Sallustius: *Omnes*
homines, qui de rebus dubiis consultant,
ab odio, amicitia, ira atque misericor-
dia vacuos esse decet; haud facile enim
animus verum providet, ubi ista offici-
unt.

In Ca-
tit: c. 15.

§ VII

Si jam igitur aliquis forte ad
 hæc, quæ ab Antiquis illis summisq̃
 Philosophis allata sunt, dogmata
 Cartesii de hoc eodem argumen-

to examinare velit, non facile negare aufit, in multis haud exiguam dari convenientiam. Dicit ille:

*Princ:
part: I.*

§. I.

de omnibus semel esse dubitandum, in quibus vel minimam incertitudinis suspicionem reperimus. Illamque dubitationem, ad solam contemplationem veritatis Philosophicæ restringit.

§. III.

A rebus fidei & ab iis omnibus, quæ à Deo nobis revelata sunt, quæve naturalis ingenii nostri vires excedunt, exulare jubet.

§. XXV.

Imo: pro summa regula, memoriæ nostræ infigendum esse, ea, quæ à Deo nobis revelata sunt, ut omnium certissima esse credenda, & quamvis forte lumen rationis quam maxime evidens aliud nobis suggerere videatur, soli tamen Autoritati divinæ potius, quàm proprio nostro

§.

judicio fidem esse habendam. Sed

LXXVI

in iis, de quibus fides divina nihil nos docet, minimè decere hominem Philosophum aliquid pro vero assumere, quod verum esse nunquam perspexit. Nam certum est, cum assentimur alicui rationi,

ni,

ni, quam non percipimus, vel nos falli, vel tantum casu incidere in veritatem, atque ita nescire nos falli. Unde hæc conlectaria sponte fluunt: *Dubitationem*, quã docet Cartesius nihil aliud esse, quã *suspensionẽ judicii*, donec veritas pateat; adeoque non semper esse dubitandum. Nec de omnibus, sed de iis tantum rebus, quæ rationi subjacent & de quibus vel minima suspicio incertitudinis nobis suboriri potest, h. e. de quibus usq; dum non plane certi sumus. Neq; tamen omnibus hanc dubitationem esse necessariam; sed iis solummodo, qui se primum investigationi veritatis accingunt, vel qui primum Philosophari incipiunt. Tandẽ non esse hanc dubitationem principium vel fundamentum cognitionis, sed præparationem & tanquam introitum quendam ad Philosophiam. Quæ singula prolixius hic adducere volumus, ut imprimis

§.
XLIV.

primis convenientiam inter Anti-
 quos & Novos Philosophos, etiam
 in hoc puncto, si non omnimodam,
 saltem aliqualem declararemus.
 Tum vero vel maximè, ut Witi-
 chio, aliisq̄ hujus Philosophi malè fi-
 dis sectatoribus, nos opponeremus,
 qui hanc dubitationem extra præ-
 scriptos limites extendere, & ad
 ipsam Theologiam proferre non
 veriti sunt. Imo, scripturam ip-
 sam, sacrum illud summi Numi-
 nis oraculum, obcæcatæ mentis
 suæ ratiociniis subicere non erubu-
 erunt. Quo ipso turpitudinis no-
 tam etiam Præceptori & Hæreti-
 stæ suo inusserunt, tanquam ipse
 illorum esset Auctor sententiæ, à
 qua tamen se alienissimum docet.
 Et à quo, si nullum alium experti
 essent adversarium, jam in ante-
 cessur. suæ impietatis & vesaniæ
 convicti forent. Quare etiam to-
 ties in suis scriptis protestatur, ne
 quis

quis ipsi ullam attribuat sententiam, quam non totidem verbis propoluerit, quæq; ad minimum per legitimam consequentiam inde deduci queat.

§ VIII.

De dubitatione autem in genere, adhuc Epicuri & Ciceronis sententiam, quam & meam facio, addere placet. Quandoquidem igitur ex Philosophantibus quidam sunt qui circa veritatem nihil certi tradant, sed de omnibus dubitent. Quidam, qui omnia sciri putant & indiscriminatim affirmant: videtur sapiens & qui germane Philosophari instituit, sic se habiturus, ut non asserat quidem omnia, sed quæpiam tamen placita rata, de quibus non amplius sit hærendum, defendat. *Nam per Deos immortales!* quid turpius & magis indignum sapientis gravitate & constantia, quam aut falsum sentire; aut quod non satis ex-

Gassen:
Syntag:
phil: E-
pic: pag:
m: III

*Cic: lib: ploratè perceptum est, sine ulla dubitatio-
1. de ne defendere vel etiam damnare.*

*Nat: Qui enim statuit aliquid, parte in au-
Deo: c. 1. dita alterâ*

*Sen: in Equum licet statuerit, baud equus fu-
erit.*

Med: Claudat jam ordinem Ovenus;

*Act: 11. Heu quantum in terra dominatur opi-
nio! verum*

*Me ne scire putas, & dubitare vetas!
Qui dubitat, non errat, adhuc in u-
trumque paratus;*

Error opinando non dubitando venit.

De dubitatione autem Cartesii, quia multis & imprimis male uten- tibus, maximè verò junioribus, qui non satis subactò sunt iudicio, ut ejus dogma examinare possint, scandalo esse queat: id consilii da- mus, ut ne simile quid aggrediantur.

*pag: m: 13. Quod & ipse monuit Cartesius in
Methodo. Tum verò ne propri-
os errores ejus pallient nomine
quem vel nunquam legerunt, vel
minus intellexerunt.*

§ IX.

Quo autem melius in reliquis quoque principiis, aliquam harmoniam seu concentum cum antiquis demonstrare valeamus: ulterius ejus dogmata, idque summo cum candore, examinare placet. Postquam igitur sic, per dubitationem omnia obstacula remota credidit; jam ad certio rem rerum cognitionem indagandam se parat. Et, quum meminerit se omnia, quæ unquam antea pro verissimis habuerat, sensibilia quoque, tanquam mera somnia & deliria, fictione quadam animi rejecisse; non potest non valde esse sollicitus, ubi de novo pedem figat. Id autem necessario fore putabat: quidquid sic dubitanti primum se offerret, de quo nulla ratione, & ne quidem per mentis fictionem, ut hactenus, dubitare posset; quin hoc ipso suam evidentiam proderet; illud tale omnino esse debere, quod

ab omnibus agnosceretur. Adeoq̄
 etiam satis esse firmum, cui tan-
 quam primo lapidi nostra cognitio,
 totaque adeo Philosophiæ structu-
 ra tutò inniti possit. Nihil vero
 ipsi prius occurrere potuit, quam
existentia sui ipsius, quam ex cogi-
 tandi actu evidentissimè concludit.
Cogito, inquit, ergo sum. Quod tam
 evidens, tamque clarum esse exi-
 stimavit, ut de eo omnium minime
 quis dubitare queat. Qui enim du-
 bitat, cogitat utique, atque ex hoc
 ipso sequitur eum esse. Et si vel
 maximè fingat, se etiam in iis, quæ
 ipsi evidentissima & clarissima ap-
 parent, posse falli; imo, ab impo-
 store quodam semper decipi: se-
 quitur nihilominus ipsum, qui sic
 falli se & decipi sentit, reverâ esse:
 quum ceteroquin ne falli quidem
 posset, multo minus sentire se falli,
 nisi ad minimum eodem momen-
 to sit, quo fallatur. Quo argu-
 men-

mento, jam olim usus esse Divus Pater Augustinus videtur, more Platonico Alipium cum Eunodio sic disputantem introducens: *Primum abs Te quero, ut de manifestissimis* *Aug: de lib: arb: cap. III.*
capiamus exordium, utrum Tu ipse sis? an Tu forte metuis ne etiam hac in interrogatione fallaris; quum utiq; , si non esses , falli omnino non posses. Ac proinde, hanc cognitionem esse omnium primam & certissimam, quæ cuilibet ordine Philosophanti occurrat & quasi sponte sese offerat, statuit Cartesius.

§ X.

Jam verò invincibili plane, ut putat, argumento, probatâ existentiam sui ipsius, i. e. *mentis suæ*; porro pergit in rimanda ejus essentiam. Propius itaq; se ipsum intuens, nihilque hætenus in se animadvertens, præter varias & penè innumeras dubitationes, quæ tamen omnes *cogitationem* involverent: illam-

lamque satis distinctè absque ullo modo corporeo à se intelligi & concipi posse: non dubitat amplius, *illam* ut aliquid maximè diversum & distinctum à corpore statuere, satis esse putans, ad demonstrandum duas pluresve res à se invicem esse distinctas, si solummodo illas tanquam distinctas in mente possimus concipere. Unde tandem novum illud & in Philosophia prorsus inauditum dogma cudere non verebatur: *Animam*, seu potius, *Mentem nostram nihil esse aliud, quam cogitationem quandam indiscretam & substantialem*. Seu, quod eodem recidit; *Rem mere cogitantem sui que semper consciam*: Multoque nobis notiozem ipso corpore. Imo, *Cogitationes nostras, quas varios cogitandi modos tantum vocat, non minus esse reales, quam quasvis affectiones corporis*. Et quæ sunt reliqua.

§ XI.

Tandem cum & illud se in dubium vocasse recordaretur, (quod omnino, salva Numinis reverentiâ, cum horrore refero) *An Deus sit?* & si sit, *an possit esse Deceptor?* nullam certam & indubitatam scientiam dari posse judicat, nisi prius agnitâ & demonstratâ ejus existentiâ. *Considerans igitur, inter diversas, Princ:*
quas apud se habet, ideas, unam esse part: I.
entis summè intelligentis, summè Poten- §. XIV.
tis & summè perfecti: agnoscensque in XX.
ipsa existentiam, non possibilem tantum
& contingentem, ut in aliis, sed omninò
necessariam & æternam. Fortissime
 concludit: *ipsum*, cujus hæc sit idea,
 & à quo toto, tanquam nota inde-
 lebilis Artificis operi suo, vel si ma-
 vis, mentibus nostris, impressa est,
 h. e. *Deum*, de quo erat inquiren-
 dum, certò & infallibiliter existere.
 Deinde verò, accuratius ad ideam
 ipsius attendens, inter reliqua ejus

infinita & incomprehensibilia attributa invenit. *Ipsum non tantum esse omnipotentem; verum etiam summe veracem & Datorem omnis luminis, adeoque*

§. *XXIX.* *que Ipsius naturæ plane repugnare, ut nos fallat.* Unde sequitur, Lumen naturæ sive cognoscendi facultatem, à DEO nobis datam, nullum unquam objectum posse attingere, quod non sit verum, quatenus ab ipso attingitur, h. e. quatenus clarè & distinctè percipitur. Ex quo demum hoc omnis cognitionis Philosophicæ primum & præcipuum fundamentum ponit: *Quidquid clare & distinctè percipio, illud est verum.* Ad quod tanquam lapidem Lydium omnes veritates Philosophicas postmodum vult exigi: quæ bene observatâ regulâ, inoffenso pede eò se progredi posse confidit, quò unquam humano intellectui datum est.

§ XII.

Ceterum diversas quoque alias, præter illas Dei & nostri ipsius (de quibus vidimus) menti obverfari ideas advertens, quas à natura frustra nobis inditas esse quis dicat? vix compendiosiori via, ad summum scientiæ gradum se eniti posse credebat; quam si illarum speculationi totum se dederet: donec omnes ad Præscriptam normam exigendo, quid in qualibet clarum, quid distinctum esset, deprehenderet. Sensibus verò hic minime fidendum credit & ferè nihil tribuit; nisi in quantum internuntiorum vices quandoque gerant, mentique dent occasionem, uno tempore magis quam alio, de hac vel illa re externa cogitandi: Neque ipsos eum in finem à natura nobis datos esse, ut eorum magisterio in veritatis Philosophicæ investigatione

Prius: utamur; *sed duntaxat ut exhibeant no-*
part. II. bis, quid corpora externa vel prodesse vel
 §. III *notere possint. Quare etiam totius*
Dioptr. vite nostræ (puta animalis) regimen
 c. I, § I. *ab iis pendere, ultrò fatetur.*

§ XIII.

Quorum omnium summa huc
 ferè redit. Per dubitationem
 Mentè à præjudiciis infantiaè libe-
 ratâ, à nobis ipsis primum ordien-
 dum. Cum cognitione *nostræ*, con-
 jungendam esse cognitionem ipsius
 Dei, à quo quidquid habemus, tan-
 quam à causa prima nos habere,
 necesse est. Ipsum autem, quum
 sit verax, omnisque luminis Dator,
 non potuisse nobis talem indere
 naturam, ut in iis, quæ plane evi-
 dentissima intellectui obveniunt,
 fallamur: modo nihil à nobis ipsis
 admittatur, quod non satis perspe-
 ctum sit: Quare etiam hic sensus
 minus valent, quum obscura tan-
 tum nobis suggerant rerum indicia:

Quin

*Quin potius solo intellectu ad ideas à princ:
 natura sibi inditas diligenter attendente part:II
 utendum.* Et hæc sunt quæ in com- §. III.
 pendio exhibent Tibi, L. B. nova
 illa principia quibus suam Philoso-
 phiam superstruxit Cartesius.

§ XIV.

Nunc porro exigit ratio ipsi-
 us methodi, quam pro arbitrio no-
 bis sequendam proposuimus, ut An-
 tiquorum quoque sensa, de hoc
 processu cognitionis humanæ col-
 ligamus. Et fateor equidem o-
 pus periculosæ plenum aleæ nos
 aggressuros. Si omnium plane
 Philosophorum, in tam diversa e-
 nuntium, de hac re judicia, ad a-
 mussim revocare sederet animo;
 quod inter tot sententiarum divor-
 tia æque possibile mihi quidem vi-
 detur, ac.

Refixa cælo devocare sidera.

Neq; vero quenquam à nobis id
 jure postulare posse confido; qui-

bus vel aliquot saltem vestigia ab antiquis jam olim trita, quibus *Renatus ille*, in condendis suis principiis, denuo insititerit, notasse satis est. Quum autem inter vetusti illius ævi Philosophos, quorum quidem scripta & monumenta ingenii ad nos transmissa sunt, Plato & Aristoteles maximè eminent, & tanquam capita quædam & Coryphæi totius Philisophiæ veteris passim ab omnibus suspiciuntur; de illorum suffragiis nos imprimis sollicitos esse decet. Hi, ut in multis planè diversam & sæpè contrariam ineunt viam, ita hoc in passu aliquatenus concurrere videntur. Quod statuunt duplicem cognitionis progressum: à sensu *unum* *ἐναβαλινῶς* à Mente *alterum* *μετὰ βαλινῶς*. Ceterum, quomodo & quousq; alioquin in ipsa re consentiant vel dissentiant, hujus loci non est disputare. Dicimus tamen ea ferè esse hujuscemo-

cernendi, quæ etiam Cartesio de du-
 plici scientia anam cogitandi præ-
 bere potuissent. Nimirum: *unâ*,
 quæ in perfecta rerum cognitione
 demum terminatur, quæve ad o-
 mnes res intellectui humano cog-
 noscibiles se extendit. Ad quam
 sensuum adminiculo solo adscende-
 re minime datur, & cujus vix
 mens ipsa in hoc ignorantiā ba-
 rathro capax esse potest. *Alterâ*,
 quæ tantum res nonnullas parti-
 culares & externas complectitur,
 quas mens per sensus, in quantum
 ipsi, propter intimam illam conjun-
 ctionem cum corpore, vel dolori vel
 voluptati esse possunt, speculatur.
 Sed hoc in genere, idque obiter, at-
 tigitur sufficiat.

§ XV.

Si vero punctum quodvis sin-
 gulatim pensitare lubet, probatu
 facile est, *illa*, quæ sic venditantur,
 neque heri neque nudius tertius
 lu-

lucem primùm adspexisse. Et sta-
 tim cum â nobis ipsis Philotophan-
 di initium nos capere jubeat: Ipsum
 antiquissimum illud & plus satis
 decantatum oraculum, quod cœlo
 descendisse crediderunt veteres:
 γυνῶσι Σεαυῶν, in consilio habuisse
 verisimile est, Quo forte applica-
 ri etiam potest: *quod quivis ante o-*
mnia, ipsa instigante naturâ, sui ipsius
curam gerat, suisque rebus prius pro-
spiciat, quam aliorum. Unde sequi-
 tur cognitionem nostri, cognitio-
 nem reliquorum omnium non tan-
 tum præcedere, quia ut *ignori nulla*
cupido, ita nulla cura esse possit; ve-
 rum etiam quum hæc constans o-
 mnibus Philosophis stet sententia:
Mentem multis modis præstantiorem esse
corporis quantumvis artificiosissima ma-
chinâ: proptereaque majorem semper cu-
ram bonæ mentis habendam, quam partis
istius ignobilioris. Veritati quam
 maximè consentaneum videtur:

Anatura quòque illius rei cognitionem & certiore[m] & evidentiore[m] nobis inditam esse, cujus ab eadem diligentior injuncta est cura. Ad quæ certè non habeo quid respondeam. Interim id mihi concedi contendo, Cartesium hoc primum à semetipso edoctum non esse; quandoquidem Plato in suo Alcibiade primo, sive de natura hominis, & alibi, idem planè & eodem ferè modo demonstratum reliquit.

§ XVI.

De reliquis Philosophis in universum id judicari potest. Neminem unquam tam fuisse velanum & excordem, qui non *notitiam sui ipsius* rerum quarumlibet aliarum cognitioni anteposuerit; vel ad minimum de existentia sua, antequam de ulla re alia, fuerit persuasissimus. Quod paulò confidentius etiam asseverârim, si illam omninò primam cogitationem &

CO-

cognitionem esse constet, qua ad nutum summi Numinis, talem existere aliquando jubentis, aliquis respondere supponitur. *Cogito, sum, nunc me esse scio.* Cumque adhuc hodie, per momenta singula à Deo reproducamur, vel si mavis, sustentemur; inhæret animis nostris semper tacita quædam affirmatio de nostra existentia, hoc est, *conscientia nostri ipsius.* Quæ sanè nunquam deleri vel extingvi potest, nisi simul toti deleamur. Quod heic intelligendum, ubi Principia cognoscendi, abstractè sepositis essendi principiis, secuti fuerimus.

§ XVII.

De cognitione Dei cum cognitione nostri conjungenda, tantò minus è re esse ducimus multas hic cumulare veterum sententias, unde suas hausisse deberet Cartesius; quando certum est, licuisse ipsi è puriore fonte illa haurire; adeoq;

vix absque extremæ impietatis nota, dubia, circa rem omnimodè claram movere. Demonstrationis modus novus est, & ipsi fortasse in totum tribuendus. Ceteroquin apud omnes in confessio est: *esse Deum*; quod perfectò argumento satis superq; esse potest, *notitiam quandam*, vel si mavis cum ipso loqui, *conceptum sive ideam divinitatis* mentibus omnium esse insitam, consentiente ipso Apostolo. Quamquam fecerit hoc pravorum impietas, ut quæstio instituat: *An sit Deus*. Interim non prætermittendum reor, quod loco supra allegato statuat Plato: *Ne quidem perfectam esse cognitionem nostri absq; cognitione Dei*. Quâ demum in nobis ipsis probè agnitâ & perspectâ, ἔτι καὶ ἐαυτὸν ἀν γνῶσι μά- λιστα, inquit.

Rom:
1. 12.

§ XIX.

Scrupulosior est quæstio &
E va-

variis sane obsepta difficultatibus; unde hanc *cognitionem sui ipsius* ad solam cogitationem restrinxerit, illamque nuda cogitatione subsistere affirmaverit. Quod multis modis tale omninò videri potest, cujus ne vola quidem aut vestigium ullum, in omnium Philosophorum scriptis ante ipsum extet appareatve; quin potius, tanquam ignota omnibus, sui que ipsius, quantum ad suam essentiam, plane peregrina, omne ævum hætenus egerit *anima*. Si enim quæ de hac re scripserint Antiqui, adeo sunt involuta, adeo intricata, ut non minus hic Oedipo aliquo opus sit, quam olim ad Sphingis ænigmata resolvenda & enodanda; sane mirari subit, inter tot viros, tot diversos seculis, omni scientiarum genere, alioquin maxime conspicuos, vix unum repertum esse, qui in hac causa sine omni hæsitatio-

tione quidquam pronunciare ausus
 sit. Quod, si ego vel maximè ta-
 cerem, cuius vel tantillum sibi fa-
 miliari, ipsi abundè loquentur.
 Et quis nescit, quantas turbas &
 rixas unus ille discursus, *de anima*
humana, sæpe ante hac dederit;
 quas nec hodiernum absque summo
 discrimine à quoquam componi &
 ad umbilicum duci posse credide-
 rim. Atque eò magis illud mira-
 ri convenit, cum de corpore, ex
 quo tamen pars hominis ignobilior
 constituitur, tanquam de re omni-
 um notissima, quivis pro lubitu ferat
 sententiam: quum tamen Natura
 videatur non minus terminos &
 intimam illius constitutionem no-
 bis abscondisse; quam essentiam A-
 nimæ nostræ. Interim Ciceroni
 tam difficilis hæc quæstio de essen-
 tia animæ obvenit, ut, postquam
 vulgatissimas suo tempore de illa
 sententias enumerasset, meritò tan-

Quæst. dem exclamaret: *Quæ harum omnium verissima sit; Deus aliquis viderit.*

Tusc.
lib. I.
c. 2.

§ XIX.

Quòd autem Cartesius, Mentem in sola cogitatione subsistere, affirmare ausus est, illud plane intolerandum. Nihilominus & hic Præcentores habuit summos Philosophos. Et penè miraculi simile est, quod cum de Anima plerosque inter te adeo dissentientes reperias, tamque abjectè quandoque sentientes: de Mente tamen semper amplissimè loquantur & pene conspirent. Quanquam si interiora rimemur, non admodum probatu difficile foret, antiquos in ea fuisse sententia, quod mens esset particula quædam auræ cœlestis, corpori tanquam carceri ad certum temporis spatium inclusa. Unde etiam *Divine particula auræ* audit. Nec verò negandum plane, has voces, *Animam* sc: & *Mentem*, quando-

doque transponi & inter se reciprocari. Interim Plato duo tantum genera rerum constituit. ψυχὴν καὶ σῶμα. καὶ πολλὰ ἐκείρα. πάντα δὲ ἀλλήλων, ἄλλα, καὶ ἐκάπερα ἐκείρα. καὶ τριῶν ἄλλο ἕδεν κοινόν ἕδεν. Διαφέρειν δὲ ψυχὴν σώματι. Ἐμφρον μὲν πρ, ὅ δὲ ἀφροσ. Et quod nihil aliud ad Mentem à corpore distingvendam, vel unam rem ab alia requiratur, quam quod distinctè unum sine altero concipere possis, totidem ferè verbis asserit in Theæreto, ubi inter alia ita disputat: impossibile esse, ut qui alterum sine altero concipere potest, opinetur unum esse alterum. Epicurus illud tanquam ab omnibus receptum refert, quod animum sive Mentem cogitationem vocitaverint. Dicendum jam, inquit, de animo, qui est intellectus, Mens, Ratio est Rationalis, Princepsque pars appellari passim solet. Quin dicitur etiam plerumque cogitatio; ac illius proprium § I.

Plat. in

Epinō:

p. m. 983

Gassen:

Syntag:

Philosf:

Epicur.

c. xvii.

§ I.

prium, feriente etiam sensu, cogitare, quidpiam apprehendere, intelligere, versare, meditari, discurrere, deliberare.

§ XX.

Posse autem Mentem se ipsam intelligere, in se conversam se ipsam intuendo, in Alcibiade suo jam sæpius nominato, apertissimis verbis docet, & similitudine ab oculo seipsum intuente declarat Plato. Quod nec in totum negat ipse Aristoteles, de νῆ sive de intellectu sic loquens: καὶ αὐτὸς (νῆς) δ' ἂν αὐτὸν δύναται νοεῖν. Et paulo post: καὶ αὐτὸς δὲ νοητὸς ἐστίν, ὡς περὶ τὰ νοητὰ. Ὅτι μὲν γὰρ ἴσως, ἀνευ ὕλης, τὸ αὐτὸ ἐστὶ τὸ νοεῖν καὶ τὸ νοούμενον. Unde etiam Augustinus:

Lib. de Magna, crede mihi, magna, sed sine immor. ulla mole de animo cogitanda. Sed et al. a- adhuc prolixius, & tamen *com-* pendiosissime, sententiam suam hac de re tota exponit, *lib: de spiritu 55* *Cap. anima,* unde hæc transcripsisse non *xxii.* pigebit: Removeat ergo à confide-

ratione sua omnes notitias, quæ per corporis sensus extrinsecus capiuntur, quæ namque corporalia sunt, eorumque similitudines, sensus quoque & imaginationes in memoria infixæ, cum recordando reminiscuntur, ad exteriorem hominem pertinent: quanquam istis tanquam nuntiis anima exteriora percipiat. Mens ergo, cui nihil se ipsa præsentius est, interiori non simulata, sed vera præsentia videat se in se; nihil enim tam novit mens, quam id quod sibi præstô est: nec magis quicquam menti præstô est, quam ipsa sibi. Nam cognoscit se vivere, se meminisse, se scire, se intelligere, velle, cogitare, judicare; hæc omnia novit in se nec imaginatur, quasi extra se illa aliquo sensu corporis tetigerit, sicut corporalia quædam tanguntur: ex quorum cogitationibus nihil sibi affingat, ut tale quid se esse putet.

Quid.

Quidquid ei de se remanet, hoc solum ipsa est. Nihil enim tam in Mente est, quam ipsa Mens, nec quidquam sic Mentem cognoscit, quam ipsa Mens. Cum enim quærit Mens, quid sit Mens; profectò novit, quod se ipsam quærit, & novit quod ipsa sit Mens, quæ se ipsam quærit. Neque enim aliunde se quærit quam in se ipsa. Cum ergo quærentem se novit, se utiq; novit. Et omne quod novit, tota novit, atque ita totam se novit: & si parte inventa, non se totam quærat; tamen quia se tota quærit, tota sibi præsto est: nihil enim sibi se ipsam præsentius esse potest. Hactenus Augustinus.

§ XXI.

De ideis, quas veluti semina quædam scientiarum Mentibus nostris primitus inditas & connatas esse statuit, non est quod nos multum torqueamus: Quum de illis
jam

jam olim acriter disceptatum sit inter antiquos Philosophos. A Platone primum introductæ videntur, apud quem multa ita disputantur, ut planè coincidunt cum iis, quæ postmodum à Cartesio nobis recocta apponuntur. Quia autem prolixiora sunt, quam ut integra huc transferri queant, B. L. ad ipsum Philosophum remittimus. Et licet multa in hanc rem è *Phædone*, è *Menone*, è *Philebo*, ex libro de *natura*, & aliis locis haberi possint; meo tamen judicio, si tanti est, legi meretur *Theætetus*, sive de *scientia*, totus. Ubi in compendio habes, quicquid heic desideres. Sic enim ibi discursum instituit cum Protagora, aliisque Sophistis, ut imprimis sensibus ferè omnem abjudicet fidem; iisdem pene argumentis, & forte etiam validioribus, quam unquam Cartesius. Deindè vero, scientiam omnem ab intelle-

étu tanquam ex fonte hauriendam
 doceat. Quò etiã illud spectat,
 quod scientiam per *reminiscentiam*
 definiat, quia nimirum rerum in-
 telligibilium species sibi connatas
 habeat. Neq; ab hac sententia in
 totum abhorret ipse Aristoteles,
 si non plane consentit, dicens: καὶ
 εἰ δὴ οἱ λέγοντες τὴν ψυχὴν εἶναι ἕν τι
 εἶδῶν, πλὴν ὅτι ἔτε ὅλη ἀλλ' ἢ νοητικὴ. Sed
 dicit intellectum illas in se tantum
 potentiã habere; cui libenter assur-
 git etiam Cartesius.

*Lib. III
 de ani.
 cap. v.*

*Cart. in
 not. ad*

Progr.

Belg:

p. 218.

§ XXII.

Superest nunc igitur ut ver-
 bo etiam sententiam ejus de rebus
 materialibus attingamus. Ubi
 mox quasi ultro se offerunt, quæ
 de essentia corporis, quam in ex-
 tensione consistere voluit, satis am-
 ple disputat. Si verò rem ipsam
 penitus inspicias; est reverã pu-
 rum putum corpus Mathematicum
 seu Geometricum, quod nec ipse
 re-

renuit. Quare etiam Physicam facit partem Matheleos, tanquam in hac agatur solum de corpore in genere, in priori verò de eodem in specie. Quod si quid fas foret conjecturæ tribuere; idem esset cum *materia illa informi*, ad omnes tamen formas recipiendas apta: quam Aristoteles *διάστημα τῆς μεγέθους* vocat: quæque apud Peripateticos reliquos utramque facit paginam. Nec multum dissentire videtur Epicurus, infinitam congeriem atomorum statuens, ex qua postmodum, interveniente motu, reliqua omnia facta & progenita essent. Quamvis minimè dissimulandum, Cartesium aliter sentire de atomis, aliter Epicurum.

§ XXIII.

Systema totius universi, quod fabricavit Cartesius, idem fermè est cum Antiquorum Pythagori-

corum illo, in quo sol fixus in Cœli nostri medio, Terra mobilis, Cometæ extra aërem nostrum & ad minimum inter errantes, Cœli fluidi, singulæque stellæ pro totidem Mundis statuuntur. Anaxagoras etiam materiem cœlestem in vortices disposuit. Inter reliquias Philosphiæ Orphicæ repertum est: universum ex æthere ortum esse; item stellas fixas: earumq; quamlibet esse mundum in infinito æthere suspensum: Tellurem à chao ortam, ejusq; formam ovo esse similem. Et quis tandem in hoc cum Cartesio non audeat contentire, videlicet, *nihil hodiè tam absurdè dici, quod non defendatur ab aliquo antiquo Philospho*: cum viderit xenophanem jam olim docuisse: infinitos esse soles in immenso orbe & infinitas lunas, *nostramque habitari instar terræ*. De quibus omnibus, (quæ tamen sacris literis contraria,

vix conciliari possunt) qui plura ex-
 petit, adeat Diogenem Laërtium
de vitis Philosophorum. Vossium
de sectis. Buddeum in *delineatio-
 ne Historiæ Philosophicæ*, & alios.
 De elementis, de motu & quæ sunt
 reliqua specialiora, jam equidem
 consulto discursum prætermitti-
 mus.

§ XXIV.

Postulat nunc res ipsa ut tan-
 dem nostram qualemcunq̄ adda-
 mus ἐπιχειρησιν ἀνευ προηρηματός, quod
 etiam ab initio nobis erat proposi-
 tum. Sed cum & tempus & res
 angusta domi, vel potius ἐπέχειν,
 quam tantos componere fluctus,
 vel breves esse moneant: si quid in-
 terim pronunciandum foret, id
 duntaxat dixisse suffecerit: Carte-
 sium utat in nonnullis & quidem
 præcipue universalibus, quæ veræ
 sanæque eclecticæ Philosophiæ mi-
 nus congruere videantur, errone-
 um

um, vel novum vel *ἴσως ἢ μεμνημένοις*
 faltem suspectum; in specialibus ta-
 men quibusdā experimentis, quæ
 & ejus demonstrationes amant, &
 jam ipso ulu progressæ feliciter na-
 turalis scientiæ ac Medicinæ com-
 probata sunt, ita admitti posse,
 quatenus id tamen non puris de-
 monstrationibus Mathematicis, sed
 & Physicis quoque Chymicisque
 abolvatur. Præterea, haberi e-
 um instar appendicis ad veterum
 inventa eo jure debuisse, ut exteri-
 or forma Disciplinæ Peripateticæ,
 quæ studio Theologico familiarior,
 quæq; *καθ' ὑπόθεσιν τῶν ὑγιαίνουσῶν*
λόγων tutius procedit, retenta, ubi
 opus fuerit, novis Recentiorum
 experimentis locupletanda fuisset.
 Cujus etiam rei in problematibus
 suis jecisse fundamenta, Aristote-
 les cernitur. Ceterum, cum eò
 jam perventum sit, ubi tessam sub-
 ducere cymbam liceat, opportunè

nobis occurrit monitum summi cu-
 jusdam Theologi non minus quam
 Philosophi, quod tam nobis ipsis,
 quam cuivis studioso Philosophiæ,
 semper cupimus commendatum:
 Nempe ita lumen rationis lumini *Schom.*
 revelato subjiciendum, ut ad hu. *in Theol*
 jus splendorem, quicquid naturali *moralis*
 lumine tibi rectè conclusisse vide- *p. 17.*
 ris, examines atque corrigas. Pla-
 ne, quemadmodum nauta, cum
 omnes regulas artis suæ sollicitè
 adhibuit, ut ex acu magnetica e-
 jusq̄ declinatione, venti velocitate,
 tempore navigationis, maris flu-
 xu aliisq̄ indiciis collegerit, ubi
 portum exspectare oporteat; sta-
 tim tamen cum lucentem è Portu
 Pharum observat, omnes potius
 damnat calculos, quamvis ubi ab-
 erraverit nescius; quam evidenti-
 am luminis in dubium vocet. Vel
 ut pueri in schola, cum numeros
 præscriptos subduxerunt, etsi se-
 cun;

cundm artem infallibilem se id re-
 cte fecisse censent, quando tamen
 numerus, qui producitur, cum eo,
 quem Magister indicavit, non con-
 venit: non Magistrum sed se aber-
 rasse concludunt, & denuo; ubi er-
 ror lateat, indagant. Ita etiam
 in studio Philosophiæ, omnes, quæ
 videntur naturalis luminis conclu-
 siones, ad scripturæ oracula tan-
 quam ad certissimam Pharum &
 infallibile Magisterium examina-
 re debemus, neq; scripturam ex
 nostris conclusionibus, sed has ex
 illa corrigere. Ea enim antiquis-
 sima illa regula est, ad quam o-
 mnes veritates sunt exigendæ, si-
 ve novæ sint, sive antiquæ. *Pro-*
inde dirige nos o ! Deus in veri-
tate tua, sermo Tuus
veritas est.

SOLI DEO GLORIA.



Erik Asplund

Uthi ett Anagramma författat/ lyder
Underli Spak.

SA snäll i wett / medh witter
Tunga

Seer then som wärcket lå-
sa will;

Fast jagh kan ther om intet
siunga /

Men lägger blot then öns-
ktan till /

Att HÆREN som är Underli (a)
Medh Wijsdoms Spakhet
står Æhr bij. (b)

(a) Esa: 9, 6. (b) Jac: 3, 14.

Önskar

PETRUS GAVELIUS.

G

Då

Då
PHILOSOPHIÆ CANDIDATEN,
Högwållårde
Her Eric Asplund/
Om nytt och gammalt mycket
stunrikt disputerade.

Det är en alltid nytt
Som medh det namnet prälar ;
Ty om man Stenen målar
Så blir han wål förbydt/
Och annan skapnad på sig ta'ar/
Doch blir så gammal som han war.

En ålderstijgen man/
Drar offta nya kläder
Ett Skiep blir hydt medh bräder /
Men hoo doch säija kan /
Att han är lijka nng som jagh
Och Skieppet bygd på samma dagh.


Så är och Wijsdoms art
Den offta syns förlegat /
Hållt där den blir förtegat/
Och skönies en så snart.

Doch när man mödan lägger til
Bli'r gammalt nytt / tro hwem som wil.

Herz Candidat, i det
I här om wackert skrifwit /
Och sli'ke saker drifwit /
Som wi'ssa moget wett;
Ty bli'r af ingom Ehr förment /
Det Namn I länge haan förtient

Wi'j wete en och hwar
Att detta wittra syncke
Bli'r lönt mdh härligt smycke /
Ja! innan någre daar:
Medh Namn/ det Ehr Apollo gier
Och tiden aldrig grafwer neer.

CARL PROCHMAN.





Ms. Rv 5634